Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1057
Quelle:
Copyright:

XIV. vixit. Opus nostrum ante annum 1306. compilavit, ut e dicendis facile erues. An vero id inchoaverit *Job. Gualensis* O. M. et *Thomas* noster perfecerit, ut vult e *Codice Coll. Lincoln. Oxon.* *Tannerus Bibl. Brit. Hib. p.* 570. non ita evictum est. Hallucinatus est idem, dum adserit, *Thomae Manipulum* Libris II. constare, quorum Prioris Praefatio incipiat: *Abiit in agrum et collegit spicas* &c. alterius vero: *Bonum est in cibo cum gratiarum* &c. Sola enim Praefatio est: *Abiit in agrum* &c. Alterum: *Bonum est* &c. initium ipsius Operis, sive Tituli I. *de Abstinentia.* De ipsa porro Praefatione mirum, haberi eam in vetustissimis Editionibus, in recentioribus deesse, ut in *Veneta* 1550. 8. min. et ipsa *Vindobonensi* 1736. 8. Enumerat in ea *Thomas* Autores sacros et profanos, quos excerpsit saepius, atque hos inter in Edit. *Placentina* suprac. *Caesarium* desiderari, *Anselmum* in *Aurelium* corruptum esse video. Ait praeterea in illa Autor: *Istorum autem auctorum libros quantum ad principia et fines et nomina et partialium librorum numerum in fine huius operis signaui, ut facilius possint cognosci et securius allegari.* Et en tibi *Tannerum* iterum, qui *l. cit.* ex isthoc Indice distinctum *Libellum de scriptoribus ecclesiasticis eorumque scriptis* creat. Ad calcem *Manipuli* Codex noster: *Hoc opus est compilatum a Magistro thoma de ybernia quondam socio de serbona. Explicit manipulus florum. deo gratias.* Tum Elenchus alphabeticus Titulorum ab *Abstinentia* usque ad *Xpus*, sub quo: *Finit anno domini. M°. CCC°. VI°. die veneris post passionem apostolorum petri et pauli*, quam notam Librarii habeo. Demum Index ille, de quo supra, hoc initio: *Notandum est, quod libros originalium sanctorum ac doctorum quantum ad principia et fines ac partialium librorum numerum hic signare curaui.* Omiserunt illum Typographi injuria; curiosus enim est ad cognoscendum, quae Scripta illo aevo integra, quae pro genuinis habita fuerint. Ex eo noto: *Dionysio* dicto *Areopagitae* quatuor adsignari Commentatores, *Johannem* (Erigenam) *Scotum*, *Johannem* (Gallum) *sarracenum*, *Maximum* (CPolit. Monachum) et *Hugonem* (Victorinum). Item citari *R. Mosis Ducem dubiorum uel neuerorum*, quod manifeste ignorantia linguae corruptum est e מורה נבוכים, atque hinc extitisse antiquam ejus Versionem latinam, quam post *Job. Seldenum* arguit doctiss. *Wolfius Bibl. Hebr.* T. I. p. 857. in *not.*

CCCCXLIV.

Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. nunc 134. antiquo vero ad marginem externum notato numero 152. unde 18. Folia e medio deperiisse constat, *fol.* max. per duas columnas splendide exaratus, literis initiorum picturatis, miniatisque titulis, in ima *fol.* 2. ora ita inscribitur manu Sec. XVI. *Liber iste congregationis. S. Justi-* R. 1